4.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FAEMINA
RESPECTU PHYSIOLOGICO

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS
AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARICA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

FRANCISCUS HORST
BOHEMUS PRAGENSIS

IN
THESES ADNEXAS DISPUTABITUR IN PALATIO UNIVERSITATIS MENSE NOVEMBRI 1840.

BUDAE,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARIAE.

Eins nur ist mir bewußt, was König und Bettler sich wünschet,
Dessen Verlust den ersten entgöttert im Purpurgewande,
Dessen Besitz den Mann im Kittel erhöhet zum Halbgott —
Holde Gesundheit Du, Du bist dieß Eine! Dich missen,
Heißt aufhören zu leben, und doch nicht sterben; Dich haben,
Heißt auf goldener Leiter zum Sitz der Olympier steigen.

Neubeck's Gesundbrunnen.

PERILLUSTRI

MAGNIFICO AC SPECTABILI

DOMINO DOMINO

LEOPOLDO SCHWARZEL,

SACRO-CAESAREAE, ET REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS SUPERIORI ANNONAE PRAEFECTO, SIMUL REFERENTI ANNONARIORUM IN SUPREMA ARMORUM CAESAREA REGIA PRAEFECTURA REGNI HUNGARIAE, NUMISMATIS AD ARMA EVOCATIONIS VIENNENSIS PROPRIETARIO.

VIRO
PROBISSIMO SIMUL AC HUMANISSIMO
GENEROSITATE, CLEMENTIA
AEQUE CLARO
SUMMO SCIENTIARUM ET ARTIUM INGENUARUM
FAUTORI
TAMQUAM
ANIMI GRATISSIMI, SINCERIQUE CULTUS PERENNIS
MONUMENTUM
SUMMA CUM VENERATIONE
HOC SPECIMEN INAUGURALE
OFFERT AC DEDICAT

ADDICTISSIMUS
AUCTOR.

Condita omnipotenti manu Natura, per mirum generationis opus, continuo conservatur. Etsi enim singula eius entia viva, peractis vitae suae cyclis, in amplum Naturae sinum redeant, et ex organicis in anorganica, ex his in organica mutentur; ipsa tamen haec mutatio novae vitae est exordium. — Quippe, ubi mors ingruit, ibi vita incipit, cum quodvis vivum, de futura sui existentia, sub alia forma continuanda, antequam materiale virium suarum substratum concidat sollicitum sit adeo: ut certis temporibus, aut semel, aut saepius vita durante conatum edat, certa germina separandi, ut partes totius, quae materialibus, et dynamicis factoribus constantia, sub faventibus adiunctis in Individua evolvuntur, Parentibus suis similia, vitamque lucro obtentam, per certam aetatem continuando, eam similibus legibus subiecta, in aliam transferunt, sub hac continua metamorphosi in indefinitum extendendam.

Antiqui dum omnia viva, quin ut *Paracelsus* etiam anorganica ovo oriri autumabant, unilateralem solum ideam, de processu Naturae formativo fovebant. Omnis

enim vivi formatio, factores duos oppositos, materiali, et dynamica parte instructos, actionem, et reactionem eorum mutuam, quoad intensionem, et extensionem naturae formandorum proportionatam, unionem demum mutuam actionis oppositorum, seu synthesim heterogeneorum requirit. Quae ita fieri haud absonum est, licet mens non concipiat, quomodo ex oppositis unitas enasci possit. Cum tamen entia quaevis ex viribus adtractivis, et repulsivis, per se oppositis constitui notum sit, entia anorganica primo gradu composita, semper ex duobus elementis, eo firmius cohaerentibus, quo maior inter ea est affinitas, seu quo magis heterogenea sunt componantur: nullum dubium est, entium vivorum etiam, quo vegetabilia, et animalia pertinent germina, per factorum duorum, quorum singulus materiali et dynamica parte agit, et reagit, concursum exoriri. —

Idea haec in totius Naturae contemplatione realis fit. — Quidquid enim in terra nostra, qua parte Universi exigua, formatur, illud partem materialem a terra, partem dynamicam a luce, quae Electricitatis et Magnetismi Unio esse videtur, accipit, ut adeo in magno processu formationis, in Tellure nostra obtinentis, Terra, quam ideo sapientes Graeci, Geam seu matrem appellarunt, negativum seu foemineum, sol positivum, seu virilem agat factorem. — Quod in magno contingit, idem et in parvo fit, leges enim Naturae ubique eaedem, et universales sunt; ut adeo, formatio singulorum etiam entium vivorum, in quibus vita universae Naturae sub clarioribus indiciis semet prodit, similes conditiones requirat, partem nempe unam negativam, praevalente factore materiali, et

alteram positivam superante factore dynamico constantem.

In infimis vegetabilibus, et animalibus, ut Confervis, et Infusoriis, factores hi oppositi distincti non occurrunt. Ast entia haec organica sub magno adhuc influxu universae Naturae constituuntur, ita quidem, ut illa factorem foemineum in generando, Natura virilem efficiat. — Confervae enim et Infusoria, etsi organis distincti sexus carentia, instruuntur tamen omnibus conditionibus, pro formando germine, ex parte factoris negativi requisitis, nempe nisu formativo, et materia plastica. — In ipsa eorum generatione aequivoca, sensu transcendentali, elementa organicum constituere valentia foemineum, vires autem Naturae virilem factorem agunt. Itaque in generatione entium organicorum infimi ordinis, Natura activitatem virilem, ut splendidam praerogativam sibi adhuc reservat, illamque tardius solum distinctis individuis usurpandam concedit, ita tamen; ut formatione altissimorum etiam entium sua vindicet iura, influit enim in ambos factores per potentias suas stimulantes, influit in ipsam germinis evolutionem. — Quid enim est germinatio, graviditas, incubatio, quam vera generatio, in quo processu germen factorem foemineum, Natura virilem agit.

Pythagoras unitatem arithmeticam pro elemento rerum omnium censuit, et iam illa, qua vixit; aetate profunde in rerum naturam penetravit. — Natura enim ab unitate incipit; cui, quo plura unitates addit, eo perfectiora entia producit. Vires eius generales, ut

Electricitas, vi repulsivae, et Magnetismus vi adtractivae respondens, unitates sunt, ex harum synthesi lux oritur. Aliae unitates materiales, prioribus unitatibus dynamicis oppositae sunt: oxygenium, hydrogenium, et carbonium, nusquam isolate occurrentes — (Azoum a plerisque non habetur pro elemento, sicut etiam metalla) — Ex hac materierum, et virium inopia tota Natura constat, ita; ut Anorganica ex unione binaria, ex Organicis Vegetabilia ex unione ternaria, Animalia, si Azoum pro elemento summatur ex unione quaternaria componantur. Norma haec, sub reliquis etiam respectibus observatur, veramque generationis excitat ideam. — Sic vegetabilia sunt unitates, solo processu plastico constantia, in animalibus evertebratis Vitae vegetativae, qua Unitati, accedit alia, nempe animalitas, his duabus in animalibus vertebratis accedit tertia, nempe vita psychica, quae in homine in reflexum Divinitatis evolvitur.

Atque si haec ita sunt, quid mirum si Natura etiam in sexibus constituendis, sexum foemineum primo, in cryptogamis, et Infusoriis, atque Zoophytis quibusdam constituat, tardius sexus discretos efformet, eos in Moluscis et Annullatis quibusdam Hermaphroditis iungat, non alio intuitu, quam ut eos in vertebratis, et Plantis monoicis, dioicis, qua Dualismum sexualem clariori obtutui sistat. —

Quo itaque Entia magis perficiuntur, eo magis, quoad organisationem, et functiones, quae cum illa in directa sunt proportione, varia evadunt. — Idem quoad sexum etiam valet, cuius respectu initio unitas

regnat, tardius Dualismus ingruit, seu sexus duplex in distinctis individuis, quin tamen unus, ex altero evolvatur. Sexus foemineus praecedit virilem, ut vita vegetativa animalem, quin tamen sexus virilis altior solum perfectio sit foeminei, ut animalis vita non est altior perfectio vitae vegetativae, contraria enim nequeunt ex contrariis oriri, sed e distinctis scaturiunt fontibus.

A.) Discrimen inter foeminam, et marem humanum.

Etsi omne ens in Natura perfectum sit, utpote, quod fini suo respondet, sunt tamen, inter ipsa organicorum Genera et Species quaedam, quae cum fini suo magis respondeant, perfectiora sunt. — Maiorem enti cuidam organico, prae alio perfectionem characteres omnes simul sumpti, non vero una, alterave praerogativa conciliat. Quantitas, seu pars materialis hoc fine non sufficit, sed quantitas simul cum qualitate. — Si a praevalente unius organi, aut functionis praecellentia, animal quoddam alio nobilius dicere liceret, tunc Mollusca organis digestionis, circulationis perfectiora, Insectis praeferenda essent.

Maior animalium perfectio, a maiore animalitatis, quae irritabilitate, et sensibilitate absolvitur, evolutione repetenda est. — Animalitatis evolutio, simul cum organisationis perfectione incedens, tutum constituit characterem, secundum quem animalia classificare liceat, non secus ac plantae, secundum organorum genitalium, quorum functio in vita vegetativa altissima est, respectum, in Classes dispescuntur. —

Quod quidem si verum est, quaestio etiam illa, an foemina, spectata organisatione, functionibusque suis, viro superior, aut inferior sit, non secus decidi potest, quam si foeminam spectata vitae vegetativae evolutione, viro superiorem, spectatà vitae animalis, et psychicae perfectione inferiorem statuamus. Qui conceptus logicos ex abstractione, et unione notarum universalium formare didicerunt, illis mox incidet non esse possibile, foeminae conceptum intuitu relationis ad virum aliter efformare, quam animalis rationalis, in quo animalitas, et rationalitas, non quidem mendosae sunt (quis enim minorem evolutionis gradum vitium dicat, cum secus perfectissimus quisque, relate ad alium imperfectus esset) sed minoris intensionis, et extensionis sunt. — Alia organorum genitalium natura, et functio essentiale discrimen dare nequit, partim ob inconstantiam, et suspensionem functionis eorum, partim quod ad vitam vegetativam pertinentia, illam ipsam prae virali eminentiorem reddant, et sub maiori vitae vegetativae evolutione subintelligantur. — Ceterum quisquis acutius intueri novit, foeminam a viro sub eadem licet toga, ex corporis externa conformatione, evolutioni vitae vegetativae, et animalis respondente facile distinguet, quin de organis genitalibus sollicitus sit.

1.) *Discrimen inter utrumque sexum, relate ad organisationem, et functiones communes.*

Tria sunt in corpore humano cava, utpote cranii, et vertebrarum, in quo organa sensibilitatis; thoracis, in quo organa irritabilitatis, et abdominis, in quo or-

gana vitae plasticae principalia continentur. Quodvis horum cavorum suas habet apendices, seu extremitates: primum organa sensuum, alterum extremitates superiores, non secus ac ipsa organa irritabilitatis, motus alacritate insignes, tertium extremitates inferiores, mole sua, vitae plasticae, ubique volumen, et massam molienti, respondentes.

Jam tria haec cava, sicut et organa illis reclusa, et apendices cavorum, diversae sunt, in utroque sexu conformationis, et evolutionis. — Truncus thorace, et pelvi constans, in viro formam pyramidis basi sua sursum, in foemina deorsum spectantis habet. Inde est repetenda maior evolutio extremitatum superiorum in viro, et inferiorum in foemina, cum inter apendices, et truncum in serie animalium constans observetur proportio. — Cavum abdominis in foemina amplius, ossa pelvis omnia magis evoluta, vertebrae lumbales altiores, os sacrum latius, magis incurvatum, ossa ilei, et ischii magis extrorsum versa, ossa pubis in symphisi sub maiori angulo concurrentia, os coccygis mobilius, ligamenta omnia magis evoluta observantur. — Diametri pelvis foemineae, tam coniugatae, quam obliquae maioris sunt mensurae, et licet pelvis minor, humilior sit, quam in viro, minorem tamen altitudinem, maiori amplitudine compensat, introitus, et cavum pelvis minoris, maiores ellypses, exitus autem maiorem circulum format. — Haec omnia functioni foeminae sexuali non secus sunt accomoda, ac in viro maior thoracis amplitudo, maiori organorum irritabilitatis evolutioni est consentanea. — Momentosum etiam discrimen observatur, inter utrumque sexum, quoad organa cavo abdominis inclusa. Cum in foemina metamorphosis pro-

grediens, regredienti praevaleat, adeo quidem, ut hoc respectu illa infantili aetati prope sit, tubus cibarius, tanquam organon eminenter assimilans, minus quidem amplus, multo tamen longior est, ac in viro, et longitudinem corporis, plus quam septies superat. Organa, aut utrique metamorphosi, aut soli regredienti inservientia, ut: hepar, lien, renes, minora sunt. — Secreta tamen eorum magis concentrata sunt. — Thorax, costis angustioribus, minus flexis, cartilaginibus longioribus, claviculis rectioribus, sterno breviori constituitur, secundum omnes diametros angustior, musculis minus evolutis tegitur, mobilitatis longe minoris est. Pulmones, et cor minoris sunt voluminis, trachea longior, sed angustior sex annullis plures numerat. Larynx, minus musculosa, cartilago thyreoidea anterius multum applanata est. — Rima glottidis angustior, mobilitas cartilaginum, et ligamentorum magna. — Atque ab hac structura pendet vocis foemineae altitudo, iucunditas et svavitas. — Glandula thyreoidea magis evoluta est, et in peculiari nexu esse videtur cum mammis, et ope harum cum organis genitalibus, namque sub nisu sexuali intumescit, in vetulis marcescit. — Atque hinc jam antiqui collum anterius in virginibus intumescens. pro signo amissae virginitatis habuere. —

Caput infantili prope est. Physiognomia ob frontem parum excelsam, nasum parvum, oculos viciniores, ossa zygomatica minus prominentia, angulum facialem Camperi maiorem, cranium relate ad faciem majus, parum evoluta est. Ob intimam tamen singularum partium proportionem, et consensum, pulchritu-

dine faciei foemineae, cui tanta svavitas iuncta est, in tota Natura nihil est superius, licet sublimitas desideretur. Facies typo foemineo conformiter rotundata est, in viro magis quadrata, frons paucas impressiones, et eminentias exhibet, multum serena est, multo magis evolutum est occiput. — Atque hinc etiam quidam Cranioscopi ut Gall ad minorem organorum mentis, et ad maiorem organorum Affectuum, quorum sedem in occipitalem regionem locant, evolutionem conclusere. — Cerebrum gravius, et maius est virili, medulla spinalis per se spectata eiusdem est relate ad foeminam massae, ac in viro, relate ad cerebrum minor, inde maior in foemina sensibilitas, et maior in viro irritabilitas explicatur. — Qualitativa tamen Encephali evolútio minor est in foemina, etsi enim haemisphaeria cerebri maioris sunt molis, singula tamen organa eius imperfectiora sunt. Nervi, demptis olfactoriis, quod etiam in foetu obtinet, subtiliores sunt, et hinc derivanda est maior recipiendi, et minor reagendi potestas. — Arteriae minoris sunt capacitatis, demptis illis, quae organa genitalia adeunt. — Venae, et vasa lymphatica, qua·apparatus vitae plasticae evolutissima sunt. —

Jam cum inter organisationem, et functiones, intima observetur relatio, patet, quod has etiam multum distinctam esse foeminam a mare. — Cum in foemina cavum abdominis, et organa eius, non secus ac in piscibus, et foetu, reliquis cavis multum praevaleat, vita etiam vegetativa, illam viri multum superet, expedit. — Digestio alacris est, ob sensibilitatem tamen tubi cibarii, magnae ciborum moli subigendae haud

idonea. — Fames frequentior, sitis vero, partim ob metamorphosim regredientem minus vegetam, ob minorem humorum consumptionem, partim ob humores digestivos concentratos, digestionem facilius absolventes rarior. — Chylus copiosus in officina digestionis paratus, ob imperfectam respirationem non convertitur in sanguinem adeo arteriosum, ut in viro. — A minore sanguinis perfectione, minor musculorum, et osssium, impressiones, et prominentias pauciores exhibentium, evolutio pendet. — Imperfectae huius assimilationis secundae, seu nutritionis, minor respirationis energia in causa est. Inde repetenda venit, maior foeminarum, praesertim in annis clymactericis in obesitatem dispositio, cum adeps materia organica imperfecte elaborata sit, per Oeconomiam Naturae in textum cellulosum secreta, inde tempore egestatis resorbenda. Glandulae mesentericae multum sunt evolutae, hinc major foeminarum in Atrophiam et Scrophulas dispositio, et major potentia, ob reliquarum etiam Glandularum lymphaticarum perfectionem, contagiis resistendi profluit. — Ob alacrem vitam vegetativam, citior est in foeminis convalescentia, magna etiam sanguinis iactura facile fertur, et suppurationes late diffusae minus damnosae sunt. — Hinc fit, ut foemina, morbis vegetationis saepius affligatur, functiones enim vitales maxime evolutae frequentius a nocivis potentiis inpugnantur, quam minus evolutae. Ob parvam reagendi potestatem morbi, non eam ut in viro vehementiam adtingunt, chronicum decursum, illi cumprimis amant, qui profundam in vegetatione radicem figunt, acutorum cryses faciles sunt. Ob alacrem vitam vegetativam, tardius ingruit fastidita senectus, et aetas longior est, quam viri, summam tamen aetatem hi solum conse-

quuntur. Irritabilitas enim in viro praevalens, usus, et abusus nisus sexualis, foeminae nunquam adeo noxius, laborum enormitas, facilius vitam perimunt. Ob maiorem vitae vegetativae evolutionem, insignis partium turgor, et citum incrementum corporis, longe prius, ac in viro terminandum explicatur, ubi enim organismus foemineus, ad certum gradum perficitur reproductio individualis, per nisum in reproductionem speciei, cuius signum ingruens menstruatio est, limitatur, quae si tardius, quam solitum compareat, corporis foeminei etiam incrementum, in longius producitur, virilisque forma, et robur illi adiicitur.

Irritabilitas multo inferior est, cum inter evolutionem pulmonum, et irritabilitatis energiam directa sit ratio. Motus alacris, facile exhauritur ob magnam sensibilitatem, influxumque huius in Cor, Orgasmus, erethismus vasorum facile concitatur, et ad actionem leviorum etiam potentiarum nocentium febris suboritur. — Functionem pulmonum limitatam adiuvat systhema cutaneum externum, stratis tenuioribus, apendicibus minus evolutis instructum, ob paniculum adiposum, magis evolutum, maiorem turgorem, mollitiem offert, partibus subiectis minus adhaeret, vasa ob teneritatem cutis transparent, et corpori foemineo roseum conciliant colorem, optimum sanitatis testem. — Materia perspirabilis magis odora est, non sine causa a plerisque, pro indice sexum, praesertim animalia irrationalia edocente, aestimatur.

Systhema nervosum, magna recipiendi, sed parva reagendi potestate gaudet. Intimius cum omnibus

organis commercium fovet, quam in viro, hinc fit, ut levibus etiam morbis, facile larva nervosa addatur. Organa sensuum inferiora; ut: gustus, olfactus, tactus, quae vitae vegetativae ministros agunt perfectiora sunt; visus et auditus in viro eminent. Coenesthesis, ob magnam receptivitatem intensior est, inde evoluta sympathia, el Antipathia, suum ducit explicatum. —

Vita psychica, intellectu et voluntate se manifestans, virili multum cedit. — Pulcherrima artium et scientiarum inventa, quae barbariem, ut fabulosus ille Hercules Tyrius, perdomuerunt, virilis mentis sunt progenies. — Facultas imaginandi, et ministra, eius memoria, in foemina laetior est, quae saepe in phantasiam abripitur, mille chimaeras, easque semper tales, quae proxime, vel remote cum nisu sexuali sociantur paritura. — Facultas iudicandi de intuitivis recta est, si altiora petat, invita etiam decipitur. — Facultas ratiocinandi inbellis est, ob magnam enim facultatis imaginandi potentiam, facile serena mentis regio obscuratur, et veritatis, quae eruenda foret, loco, contradictio nascitur. — Voluntas, si nomine eius, conatus effatis rationis conformiter agendi intelligatur, haud firma est, turbis enim affectuum facile enervatur, et, licet meliora videat, sciatque, arbitrio tamen sensualitatis facile famulatur. — Ingens est aversatio invisorum, et appetitio dilectorum. Animus mollis, cerae instar flexilis in propositis infidus, saepissime mutatur, momento furore exardescit, et mox in lachrymas solutus, quos perimere, parabat, facile ignoscit, parva praeteritorum memoria ducitur, praesentia amat, futu-

rorum incurius. — Non delectatur magnis, et sublimibus, iucunda solum et bella quaerit. — Notum id iam astuto Ulyssi fuit, qui Achillem, muliebri licet veste tectum, neque tamen ut sociae crepundia, sed arma prehendentem, hoc indicio agnoverat. — Ob minorem vitae psychicae evolutionem nulla labes manet foeminam, neque Sapientis Creatoris manus noverca in eam fuit. — Imperfectio enim ipsa sexus unius, relate ad alterum firmissimum est Societatis vinculum, foeminam conscientia minoris, potentiae intellectualis, ab arduis quae viros ferre decet, deterret, et domesticis rebus, curaeque sobolum, summo honestae foeminae officio, incumbere iubet, simulque admonet, ut se sapientioris viri regendam substernat consilio, virum vero hortatur, ne in formanda imputatione, cuncta ad Draconis leges exigat. Sedulo labore, foemina in omnibus, quae viri sunt, culta evadere potest, quod tamen si eveniat, nescio an omnis Pericles, doctam amabit Aspasiam? —

2.) *Discrimen quoad organa genitalia.*

Organa genitalia foeminae, alia sunt externa, alia interna, constituuntque apendices tubi cibarii; quippe in infimis animalibus, ut Enthelmyntis, Actiniis, tubus cibarius, simul ovarium est, in tribus inferioribus classibus vertebratorum, oviductus, organa genitalia mascula, in Cloacam simul cum Intestino recte aperiuntur. — Atque ab hac organorum genitalium ad tubum cibarium relatione, repetenda est regnans inter ambo organa insignis Sympathia. Non obstante diversa conformatione, et functione genitalium foeminae, ob primitivum

tamen typum, genitalibus masculis multum sunt similia. Scrotum labiis maioribus pudendorum, si illa in raphe unita repraesentemus, glans, conformatione, et sensibilitati Clitoridi, quae ut glans praeputio tegitur, corpora cavernosa penis, Nymphis, Musculi bulbo-cavernosi, constrictori cunni, vesiculae seminales, utero, ductus eiaculatorii, seu spermatici vaginae, caput Gallinaginis, portioni vaginali, ductus deferentes tubis Fallopii, ovariis testiculi respondent, tum quoad functionem, tum quoad organisationem suam. — Tanta sane est similitudo inter utriusque sexus genitalia, ut cum ante mensem quartum, in Embryone masculo scrotum necdum in raphe sit unitum, clitoris nimis elongata, penis formam ludat, testiculi necdum in scrotum descenderint, externum marem inter et foeminam discrimen arduum sit. Si forte ulteriori graviditatis tempore, natura in genitalibus ultro evolvendis, et discernendis supersedeat, genitalia adeo imperfecta fiunt, ut parte una masculis, parte alia foemineis respondeant. Licet enim hermaphroditi veri nusquam observati sint, cum huic lusui naturae, pelvis ratio, amborum sexuum genitalibus recipiendis impar adversetur, quamvis *Ackermann* asserat, se in uno individuo ovaria, testiculos, uterum detexisse, observatum tamen est, ob imperforatam glandem in viris hypospadaeis, scrotum in raphe non unitum, vel ob rimam vulvae similem, in quam urethra hiat, inter non unitum scrotum praesentem, genitalia mascula, ob testes simul in abdomine reconditos, foemineis simillima fuisse. —

Ostium vaginae praecluditur membrana semilunari, quae hymen dicitur, interdum circularis, et adeo firma, atque laxa est, ut per iteratos etiam coitus non

laceretur. In sola foemina humana adest, a tota antiquitate pro optimo virginitatis signo reputata fuit. Variis tamen casibus exposita est, atque si inter virginitatem moralem et psychicam distinguendum sit in iudicio de virginitate ferendo omne perdit votum. Antiqui iam hoc iudicio non contenti, collum gracile pro virginitatis signo declarabant, et si quidem filum circa collum ductum, trans occipuit reduci non potuit, deflorationem arguebant. Interim in virginibus etiam veri nominis, ingruente pubertate, occiput magis arcuatur, collum ob glandulae thyreoideae perfectionem incrassescit, ut adeo opinio illa inter incertissimos characteres releganda sit. — Quam nulla protervia notat, quae facile verecundo pudore suffunditur, quam sermo, incessus, atque aetas commendat, quam similes sociae sequuntur, quam haud simulata pietas ornat et quae durae matris ad imperium parere docta, otio non pessumdatur, illius Virginitas non facile argui potest.

Maximae dignitatis inter organa genitalia foeminae est Uterus, receptaculum, in quo foetus evolutio contingit. Organon hoc solis mammalibus est proprium licet etiam Pisces quidam, ut squallus, Blennius, receptaculo gaudeant, in quo exclusio ovi, sine nexu cum matre perficitur, qui ideo improprie Vivipari dicuntur. — Uterus in infantia cylindricus est, comparente fluxu menstruo pyriformis, et post primam graviditatem oviformis. — Nervis paucis, in portione solum vaginali copiosis, vasis flexuose decurrentibus, cum praedominio venarum, plurimis instruitur. — Nervorum inopia, functioni uteri admodum respondet. — Est enim

uterus organon vitae vegetativae summum, in organis autem vitae vegetativae omnibus, in animalibus cunctis, cum praevalente vegetatione nervorum influxus parvus est. — An fibras musculares habeat, disputatum est, cum illae extra graviditatem non sint manifestae. — Verum reperiuntur in utero gravido, et in utero aliorum animalium extra graviditatem, uterus motum expansivum, et contractivum edit sub partu, et ad hanc activitatem, si forte torpeat, energia eius, iisdem stimulis, quibus aliorum organorum irritabilium exaltatur, ut Galvanismo. Structura, et decursus fibrarum muscularium eadem est, ut longitudinales in fundo, et corpore, circulares in cervice praevaleant, non secus ac in tubo cibario, et vesica urinaria. Quod fibrae musculares extra graviditatem non observentur, nil officit, uterus enim est organon inter omnia maxime protheiforme, quod extra graviditatem summe imperfectum, perfectam evolutionem suam sub graviditate primum attingit. Quis autem exinde concludat, tubum cibarium foetus carere tunica musculari, quod haec necdum evigilante motu peristaltico, haud observetur. — Uterus itaque non secus ac tubus cibarius, suis gaudet tunicis, externa serosa a peritonaeo, tunica musculari, vasculari, et mucosa, quin imo forma etiam sua respondet illi, ita ut extremum tubarum, seu morsus diaboli, pharyngi, Tubae Fallopii, oesophago, orificium tubarum Cardiae, uterus ventriculo, portio vaginalis, pyloro, vagina tubo cibario, ad exitum suum, non secus ac intestinum rectum sphinctere cincta, interne vero, rugis transversalibus, valvulis Kerkringii respondentibus obsita, ligamenta uteri lata, mesenterio respondeant. Similitudinem hanc, in-

feriora animalia, in quibus tubus cibarius, simul ventriculus est, oviductus structura, periodica amborum functio, voluminis vicissitudo, ingens in utroque vitae vegetativae evolutio (ut adeo tubus cibarius receptaculum sit, materiam pro reproductione individui, uterus autem materiam pro reproductione speciei suppeditans) comprobat. — Accedit, quod sicut tubus cibarius ingesta, ita et uterus foetum non prius eliminet, quam ambo summum eorum renisum experta sint. Ut sub digestione valvula pylori, sic post conceptionem orificium uteri occluditur. — Uterus meram ampliationem Tubarum Fallopii constituit, non secus ac ventriculus oesophagi, vesiculae seminales ductuum, spermaticorum dilatationes sunt. — Originem hanc similis structura, et uterus bicornis in quibusdam mammalibus praesens, imo etiam in foemina humana observatus comprobat. — Accedit observatio, e cavis duobus, septo divisis compositum jam occurrisse, ita ut quodvis cavum tubae Fallopii sui lateris responderet. Ceterum ante graviditatem, cervix uteri fundo perfectior est, sub graviditate vero fundus primo incipit evolvi, cervix autem tardius solum evolutionem hanc participat.

3.) *Functiones soli foeminae propriae.*

a.) Menstruatio.

Infantia foeminae haud multum est diversa ab infantia maris. — Vegetatio, ut aetas infantilis secum fert, in utroque sexu aeque alacris est, vita animalis tamen, et pšychica citius in infante mare evolvitur. Inde fit, ut dentitione peracta, incedendi. et loquen-

di facultas citius in mare compareat. — Dentitione secunda superata, affectuum etiam maior diversitas observatur. Vanus in foemina animus, generosum in viro ingenium, quilibet nunc sexus similes sibi quaerit socios, et se ab opposito sexu separat, quod non tam lusuum diversitas, sed potius alia animorum ratio inducit. Conscientia teneritudinis suae, memoria illatarum sibi, ab insolente mare injuriarum, maior prima aetate solitudinis amor foeminam a consortio maris alienam reddit.

Sensim praeparatur infantia ad pubertatis disciplinam, quae antequam ingruat, puella corpore, et animo multum evolvitur. — Pelvis ampliatur, mammae, tamquam gemmae arborum, peracta hyeme, turgescere incipiunt, et in pectus foemineum subdolo passu innocens amor se insinuat. — Pubertas citius foeminas salutat, ac mares. — Ea ingruente organa genitalia e somno quasi hyemali expergefiunt, nisusque sexualis inopinatum infert bellum. Ut in viris spermatis secretio, ita in foeminis Catameniorum comparitio pubertatis sunt. Haec in Clymate temperato 13 — 15, in frigido, ubi ob frigus vegetationi inimicum, evolutio organismorum lentius contingit 18 — 20, in clymate torrido 18 — 12. — Generatim citius in illis, quae corpore laxo praeditae, otio deditae sunt, aut mentem praematuris stimulis torquent, comparent, tardius in robustis, labori continuo deditis, ruricolis, et in viraginibus. Populi ex Asia calidiori ad nos commigrantes, mutato licet climate, pubertatem citius assequuntur. Antequam fluxus menstruus incidat, or-

ganismus, ut sub omni evolutionis catastrophe, insolitis phoenomenis agitatur. Suboritur scilicet febris, cum exaltata sensibilitate, et irritabilitate universali, et topica, in organis genitalibus sensus pressionis, caloris, pruritus percipitur, moliminibus his periodice uno, alterove mense recurrentibus, neque ob transitoriam suam indolem magni aestimatis, post repetitos insultus, quos pudica virgo, status sui parum conscia, non facile revelat, praecedente primo fluxu muci largiore, cruentum contingit effluvium, et animum virginis attonitum reddit. Sanguis hic venosus est, copia eius 5—6 uncias efficit, et effluvium eius a 3—8 dies durat, corpore nimis energico, aut accedente stimulantium usu, fluxus est copiosior, in languidis, phlegmaticis parcior, initio et circa finem magis est serosus. Terminato fluxu eius irritabilitas, et sensibilitas exaltata, ad pristinum tenorem redeunt, modica solum, ut post leviorem haemorrhagiam, debilitas remanet. Fluxus hic usque 36, 45, aut 50 aetatis annum periodice revertitur cyclo eius phasibus lunae respondente, annis clymactericis propinguantibus, rarior est, donec tandem maiore haemorrhagia consvete praecedente, plene cessent. — Catamenia ad sanitatem individualem necessaria, ultra 50 etiam annum interdum observantur, danturque casus, ubi foemina 63 anno adhuc peperit, id tamen ad casus extraordinarios referendum, non secus ac exempla puellarum anno aetatis secundo menstruantium, et septimo anno gravidarum a Siebold et Haller relata. — Generatim eo diutius durant, quo tardius effloruerunt, sub graviditate, et lactatione, atque cachexiis quibusdam cessant, licet rarissima occurrant

exempla foeminarum, nunquam alias, nisi sub graviditate, menstruantium. Menstruis comparentibus foemina virgo dicitur, animoque multum mutatur.

Sanguis menstruus per internam uteri superficiem secernitur, quam membrana mucosa, ostiis venarum liberis, in cavum uteri hiantibus pertusa obvestit, libera venarum ostia in utero inverso, et gravidis subito mortuis manifeste videre licuit. — Idem etiam in tubo cibario contingit, ut adeo opinio eorum, qui vasa nusquam apertis finibus desinere dicunt, erronea sit. — Sanguis menstruus peculiaris est odoris, aëre accedente facile corrumpitur, eius tamen accessu praecluso, ut sub Atresia vaginae diu incolumis manet, nec coagulatur, cum fibrina careat, et hinc patet sanguinem hunc non esse simpliciter excretum, sed activitate uteri immutatum, et vere secretum esse, unde uterus a plerisque pro organo glanduloso habetur. Etsi sanguis menstruus eiusdem sit indolis, ut haemorrhoidalis, catamenia tamen cum haemorrhoidibus identificari non possunt, illa enim statum physiologicum constituunt.Fluxus menstruus omni quarta septimana redit, neque tamen eodem apud omnes die, cum phasibus lunae in nexu constituitur. Hoc quidem exinde repetebant, quod Luna in Zyzygiis constituta, sicut aestum maris, ita et aeris causet, aëre leviore reddito, minuitur resistentia, sanguini versus peripheriam corporis ruenti, opponenda, quo facto fluxus menstruus provocatur, tamdiu durans. donec infracta per haemorrhagiam hanc circuitus vi, levior etiam aër sanguinis undam coërceat, aut mutatio lunae situ, sublatoque aëris aestu,aër iterum gravior fiat.Etsi vero certum sit aere leviori reddito, haemorrhagias oriri, ut altos montes scandentibus evenit: ast in consveto hominum do-

micilio aer numquam adeo levis fit, hypothesi hac stante, foeminae etiam annis clymactericis afflictae, imo viri etiam sanguinis profluvia periodica pati deberent. — Justius est censere sensibilitatem, et cum hac irritabilitatem periodice exaltari, et deprimi, suasque non secus ac luna habere phases, vita enim organismorum, easdem, quas vita universi, a quo dependet, vicissitudines subit, per systematum universalium exaltatam activitatem, singulorum etiam organorum functionem exaltari, in uterum sanguinis congestionem fieri, et statum quasi subinflammatorium induci, ut id symptomata febris, leviori etiam irritationi in individuis sensibilibus accedentia testantur. — Status huius irritati profluvium cruentum crysim quasi constituit. — Idem enim etiam sub aliorum organorum irritatione observatur, ut sub inflammatione pulmonum, ubi levior haemorrhagia morbi vim multum sedat.

Fluxus menstruus a plethora universali, vel topica repeti non potest. Universalis enim modico illo aliquot unciarum sanguine, tam segni rivo fluente non tollitur, nec sine damno diu durare potest, praeterea fluxus menstruus nec in debilibus deest. Refert praeterea Blummenbach exemplum sororum duarum monstrose coalitarum, quae etsi communem haberint circulum, tempore tamen, et quantitate fluxus menstrui differebant. Nec a plethora relativa, haec enim effectum exaltatae actionis vasorum constituit, etiamsi ergo non desideretur, periodica tamen haec actionis vasorum exaltatio, ex altiori fonte explicari debet. — Optime sane illi censent, qui menstruationem pro irrito conatu habent organismi foeminei, per se graviditatem molientis. — Organismo enim foemineo, ad

certum gradum perfecto, nisus formativus evigilat, sensibilitas, et irritabilitas exaltatur, hinc congestio fit in organa genitalia, tanquam centrum, et nidum nisus formativi, omnesque conditiones, pro novo individuo formando, ex parte foeminae adsunt, sed cum huic fini sola haud sufficiat, irritum eius conamen eliditur, et per cruentum secretum, non solum uteri, sed totius etiam organismi status exaltatus compescitur. — Hinc fit, ut ante, et post menstrua conceptio facillima sit, sub ipsis vero catameniis non succedat, hoc enim tempore exaltatus uteri status, propriis stimulis iam satis incitatus, aliënis adhuc accedentibus, facile in abnormem metamorphosim abripitur, ut inflammationem, quae nimio suo in plasticitatem nisu, facile prima germinis sufflaminat exordia. — A similibus momentis producitur etiam in mare spermatis secretio, similia prodroma, et sequelas habet, et aeque irritum conamen sistit organismi virilis formationem novi individui per se frustra molientis. Viri casti haud raro observant pollutiones periodicas, ubi prius agitationes nervorum, et vasorum maximas pertulissent. Socialis hominis vita, nisus sexualis frequentiorem usum indulget, hinc ambo sexus frequentius venere pruriunt, alia animalia rarius, et certis solum temporibus, tunc praesertim, cum tota Natura in maiori evolutione stat, ut verno tempore, oestro agitantur, et quidem ita, ut quadam necessitatis lege nisus sexualis in utroque sexu eodem tempore evigilet. — In animalibus hucdum observatis hoc solum tempore effluvium cruentum observatur, ut adeo significatio eius etiam argumentis ex Historia naturali depromptis, comprobetur. —

b.) Conceptio.

Altera nobilissima foeminae functio est conceptio, actus nempe illius, inter marem, et foeminam intercedentis effectus, per quem in ovo, in utero in novum individuum evolvendo, et in ovario iam praeformáto processus vitalis excitatur, materiam plasticam, ad normam typi parentum, in certam formam redacturus. In infimis plantis, et animalibus, prima futurorum individuorum rudimenta forma ovorum comparent, quae aut simplices materni corporis partitiones sunt, ut in Hydris, aut in distinctis ovariis a corpore materno secreta, certo tempore continentur, et egeruntur, et sine concursu factoris virilis in nova individua evolvuntur. In altioribus animalibus, et plantis distincta occurrunt organa sexus, aut ambo in uno individuo coniuncta, ut in Moluscis, Cirhipedis, quibusdam Annullatis, aut vero in diversis individuis separata, atque sic in priori casu unum idemque individuum, in altero duo individua se mutuo foecundant, et foecundantur. In quibusdam, ut Hyrudine Androgynismus viget, individua scilicet duo hermaphrodita conveniunt, et se mutuo foecundant. ac foecundantur. Quidquid sit, in plantis, et animalibus perfecttoribus sine concursu duorum factorum nullum foecundum producitur ovum, nulla in vertebratorum principibus, mammalibus contingit conceptio. Haec enim qua functio altioris ordinis in his solum, iuxta datam definitionem, habet locum. — Conductor principii foecundantis seu virilis in plantis fovilla, in animalibus sperma dicitur. Conductor principii foecundandi, seu

foeminei Blasthema dicitur. Materia utriusque albumen est, qua materia summe plastica, omnes formas assumere par, estque consistentiae fluidae. Concursus individuorum generantium aut mediatus est, ut in Piscibus, qui demptis Selaciis, ova extra corpus missa foecundant, aut immediatus, ut in plurimis — ova, qua rudimenta novi individui, in plantis, et animalibus manifesta, in mammalibus ob exiguitatem suam diu incognita, in foemina humana primum a Graff detecta sunt, unde etiam ovula Graffiana vocantur. — Numerus eorum in utroque ovario non ultra quinquaginta est, varia est eorum magnitudo, ita ut quaedam lentis, alia milii magnitudinem habeant, quod ipsum etiam in ovis aliorum animalium, praesertim avium observatur, haerent in cellulis ovariorum, quae sub involucro fibroso, tunicae albugineae simili, et peritonaeo obvoluti continentur, involucrum ovorum serosum est, copiosis vasis perreptatum, intra quod fluidum albuminosum homogeneum continetur. — Ruptis his vesiculis, et fluido effuso, cicatrices remanent, quae corpus luteum dicuntur, quae tamen etiam in virginibus, et animalibus nunquam coeuntibus observatae sunt. — An renascantur, ut in oviparis ignotum, pauciora tamen reperiuntur in illis, quae iam saepius peperere, in vetulis in tubercula duriuscula vertuntur, aut glandulis sebaceis similia fiunt, iam matura evolvuntur, in puellis, adhuc teneris, observata sunt.

Etsi actus foecundationis, aut conceptionis adeo simplices habeat apparatus, et conditiones, et reipsa a Natura, quae haud tortuosa in magnis suis operibus

evagatur via, simplici modo peragatur, quomodo tamen id fiat, mysterium, nodusque Gordius est. — C. Buffon materiali admodum modo rem cogitat. — Sub coitu nempe a singula particula corporis parentum, partes minimas separari asserit, ita ut sperma prototypon corporis virilis sit, quod in uterum delatum, in foetum evolvatur. Hypothesis haec magnum partis virilis in generando praepondium agnoscit, hypothesim eius similitudo inter patrem, et sobolem haud rara comprobat. — Verum rem nimis materiali modo exponit, hybridorum, et prolium foeminearum originem non explicat, nisi, quod consequens esset, etiam e corpore foemineo, similis essentia totius sejungatur, et pro praevalente unius, aut alterius principio, processus vitalis, ad marem, vel foemellam formandam determinetur; id quod credere idem est, ac se in regione somniorum perdere. Qui fit ut Patre coeco, aut claudo geniti integri vigeant, nisi defectum partium harum in semine virili jam praeformatarum, per processum plasticum, in reliquo spermate vigentem, compensari credamus, partesque deficientes reproduci asseramus, non secus ac evulsi salamandrarum oculi, abscissa Lacertarum cauda reproducitur.

Loevenhoek detectis animalculis spermaticis seu cercariis, ex horum uno, aut pluribus, uterum et ovaria penetrantibus foetum formari docuit. — Ast Animalcula haec, etsi in spermate foecundo multorum animalium detecta sint, nil tamen aliud sunt, quam testes insignis spermatis plasticitatis. Absonum sane menti est concipere, quomodo ex animalculis spermaticis, si illa reipsa infusoria sint, organismi altiores evolvi

possint, cum tamen observatio doceat, in primis humani Embryonis elementis, essentialia illius organa, caput nempe, et truncum, forma vesicularum duarum dissimilium comparere, quorum nullum est in animalculis spermaticis vestigium. Ut huic difficultati Animalculistae occurrerent, statuerunt: Animalia spermatica, ipsam organisationem animalium, in quorum semine adsunt praeseferre, quae ulterius, per meram partium distensionem evolvantur; atque dementia eorum in tantum aucta est, ut teste Wildenow, in granis fovillae Tiliae Europeae, parvas quidem, sed iam eodem modo organisatas Tilias, in Spermate Asini, parvos Asinos, per mirabile microscopium suum conspexerint. —

Hypotheses hae foeminam sub generatione passive solum se habere statunt, cuius uterus receptaculum solum, pro evolvendo spermate constituat, et suppeditatis solum sub efformatione ulteriori humoribus, ad formandum ex illo individuum concurreret, materiam vero plasticam primam, et processum vitalem, illi inhaerentem, a factore virili, originem ducere. —

Systhema Praeformationis, rudimenta individuorum iam praevie in ovariis praeformata dicit, quae per concursum factoris foeminei, cum factore virili ad processum vitalem excitata, ab ovario revulsa, et in uterum delata, per conflictum materialem, et dynamicum inter se, et matrem intercedentem, ultro evolvantur. — Ast germina sub involucris suis, materiam mere plasticam recludunt informem, concurrente sexu altero in organisationem individualem efformandam.

Epigenesis per *Blumenbaeh* maxime illustrata, nisum formativum in organismis exoriri statuit, quo fit, ut e materiis organismi iudividualis plasticis, aut cum, aut sine concursu alterius sexus, nova individua exoriantur. Opinio haec maxime iusta et universalis est, Agnoscit enim focum certum, scilicet ovaria, ubi materia plastica praevie deponitur, atque vel in eodem loco, ubi deponitur, ut in Polypis, Naidibus e gemma corporis, aut in foemina humana etiam, ut in graviditate ovariorum, evolvitur, vel materia plastica in alia, fine ultericris evolutionis, receptacula deportatur. Non negat systhema hoc, magnam factoris virilis in generando potentiam, cum processum vitalem, sicut quemcunque alium processum Physicum, aut Chemicum, in materia per se inerti non secus, quam per factores duos sibi oppositos, exoriri posse fateatur. — Atque hinc patet haud errare illos, qui vitam vegetativam a matre, animalem a patre in foetu humanos derivant. Quilibet enim factor, eminenti vi sua agit, atqui in foemina vegetatio, in viro animalitas dominatur. — Ipsa haereditariorum morborum uatura id comprobat, rarissime enim morbi nervosi matris, ut Epilepsia, in foetum transferuntur, morbi vegetationis facillime — e contra morborum nervosorum Patris, foetus saepissime haeres est. — Saepissime stolidi fatuas, prudentes ingenus gignunt soboles. — Qui modum, quo conceptio fiat explicare conati sunt, influxum viri in foeminam, influxui illi, quem magnetisans, in magnetisandum exerit, aequipararunt, asserentes similiter foeminam ad reproductionem specie incitari; sicut hic influxu suo manipulationi suae subiectum, ad altiores virium manifestationes, quibus ipsemet utique in certo gradu gau-

det, determinat. — Alii influxum viri contagiis similem esse statuerunt, quae idea haud absona est, licet lumen Germaniae *Oken*, alte nimis volet, dum ova, in ovario conspicua, ut totidem pustulas exanthematicas esse putat, a suscepto contagio sexuali natas. —

Quaeritur quaenam sit functio spermatis? Illud in Uterum penetrare posse, nulli dubium est, an tamen ad ipsa usque Ovaria pertingat nemo demonstravit, ut adeo immediatus eius cum ovulo contactus improbabilis sit, ovum enim tardius solum post Coitum defertur in Uterum, quo tempore semen vitalitatem suam aut perdidit iam, aut plane evanuit. Actus Conceptionis momento contingit, per processum exaltatum genitalium, status subinflammatorius in illis exoritur, ovulum unum, vel plura, in ipsis ovariis adhuc magis perficitur, ruptisque involucris, materia plastica in ovulo contenta per Tubas Fallopii in uterum defertur. Magis tamen credibile est, nullam ovi rupturam fieri, sed illud totum in uterum descendere, et ex involucris eius Chorion ipsum efformari. Hoc ovula, quin rumpantur integre in aliis animalibus separanda comprobant. Viam ovi praefatam, Graviditas Tubaria, et Abdominalis confirmant. — Non omne sperma ad foecundationem est necessarium, iam *Spalanzani*, guttula seminis Ranae aqua multa diluti, innumera ova foecundavit. Aura seminalis, qua principium efficax in foecundatione ad phantasmata pertinet, omnisque functio spermatis in eo consistit, quod vehiculum constituat, foecundantis viri virtutis. Et recte per hoc comprobatur Analogia inter contagia, et conceptionem. Ut pro omni contagio receptivitas. et in fixis vehicu-

lum certum, contactusque eius cum corpore inficiendo certum item Atrium, quod pro varietate contagiorum variat, nesessarium est; sic etiam pro conceptione eaedam conditiones ex parte factoris virilis requiruntur. —

c.) Graviditas, partus, et lactatio.

Conceptione succedente, Graviditas ingruit, nobilissima status foeminei mutatio. In interna uteri superficie, processus plasticus, ab inflammatorio, non admodum arcto limite seiunctus exoritur, cuius productum membrana decidua Hunteri est, ope cuius ovum utero arctius adhaeret. Membrana haec vehiculum est commercii inter matrem et foetum intercedentis, ostia venarum occludit, unde menstrua sub graviditate silentia explicantur, atque tunc etiam formatur, si forte infausto omine graviditas extrauterina adsit. — Ovum in uterum descendens, utplurimum lateri eius dextro adhaeret, in externo eius involucro, ubique flocci efformantur, in illa parte, ubi serius placenta efformatur, perfectiores, qui floccis in membrana Hunteri natis obvii, et cum illis coniuncti, conductores sistunt, per quos humores a matre, in ovum tendunt, qui inter ambas Chorion lamellas penetrando, efformata sensim membrana Amnios, in cavum eius transudant, efformationi Embryonis, materiam praebentes. Initio ovum tota sua superficie arcte utero adhaeret, mense tertio placenta comparet, foetus utero, et matri intensius nectitur, et evolutio eius alacrius incedit.

Quantuscunque autem matrem inter et foetum nexus intercedat, ille tamen maxima parte dynamicus

est, et nexui illi, qui solem inter, et terram intercedit iustissime aequiparatur. Uterus relate ad foetum terra est, Mater est Sol cuncta vivificans, foetus est planta in foecundo solo vegetans. — Immediata inter foetum, et matrem communio ope vasorum, aut nervorum non datur, placenta enim mere foetalis est, inter eam et Uterum membrana decidua se insinuat, nec transit sanguis foetus in matrem, aut huius in foetum. Ut embryo plantarum propria habet organa ex quibus nutriatur, scilicet cotyledones cum quibus ope funicul umbilicalis cohaeret, non secus et foetus humanus, sua habet organa nutritionis, nempe placentam, et liquorem Amnii, quorum deficiens sensim materia, per transudatos humores maternos continuo suppletur. — Mater itaque et foetus in se mutuo in distans solum agunt, non secus ac Sol in terram ope gravitationis. —

In utero communiter unus foetus continetur, gemellorum inter 80, tergeminorum inter 7000 partus exempla occurrunt. Neque tamen desunt exempla sex, et septem foetuum uno tempore utero delitescentium jam *Aristoteli* nota. Tempus graviditatis 40 hebdomatis, seu 10 mensibus lunaribus, seu 280 diebus durat, quin tamen graviditas in satu morboso in brevius, aut longius tempus non excurrat.

Uterus sub graviditate multum mutatur, situm alium obtinet, initio quippe descendit, tardius ascendit, et mense nono scrobiculum cordis attingit, mense decimo iterum descendit, et antrorsum inclinatur. — Volumine multum augetur, non per simplicem extensionem, sed per veram hypertrophiam. Extra Graviditatem tres pollices in longitudine, duos in latitudine habet, mense decimo graviditatis, in quadruplum augetur, et

12" in longitudine, 8" in latitudine evadit. — Peripheria eius secundum Chaussier 28 efficit, et Volumen eius secundum *Haller* 544 vicibus amplius est. — Porro vasa perdito decursu serpentino, magis recta decurrunt, ipsa nervorum massa augetur. Uterus consistentiam compactam amittendo spongiosus fit, mutationes omnes, primo in fundo ingruunt, tardius etiam in Cervice uteri inchoant, quae in primiparis plene disparet.

Functiones etiam foeminae sub graviditate multum alterantur, provido naturae consilio digestionis vis infringitur, neque id a coarctatione intestinorum repetendum, si quidem iam primis mensibus observetur, processus plasticus exaltatur, et sub graviditate organismus femineus, in eum perfectionis gradum extollitur, ut foemina nunc primum vere talis evadat, et sexus sui decus, ac ornamentum sit. — Insignis adest in corpore torositas, praesertim in parte corporis inferiore, quo processus plasticus, velut in centrum convertitur, dum a proportione pars corporis superior minus vegetat. Pelvis magis perficitur, cutis transpiratio alacrior fit, et imperfectae respirationis vices supplet. — Molestiae in Alvi, et Urinae evacuatione secundo, et ultimis mensibus naturales sunt, et per Uteri mutationes inducuntur. In systemate nervoso receptivitas imminuta, cum maiori reagendi potestate advertitur. —

Elapsis decem mensibus lunaribus, maturitate foetus iam perfecta, evigilat in utero sensus semel contento suo liberandi. — Vincula, quibus foetus matri

iungitur, sensim debiliora fiunt, atque is spontaneitati suae traditur. Ut enim musculus quivis expansionem ad certum solum gradum fert, et illo consecuto, contractio, sub phoenomeno spasmi, in illo evigilat, ut organa cava cor, vesica urinaría, ventriculus, saltem ad certum gradum Diastole ferunt, sic etiam uterus e summo extensionis gradu, in contractionem determinatur, per fibras longitudinales: et circulares perficiendam. Contractionibus Uteri itaque actuosis, sensim increscentibus, os uteri aperitur, et foetus ruptis velamentis, inter dolores conquassantes, accedente etiam preli abdominalis auxilío, dulcissima perpessorum dolorum merces, naturae externae traditur. — Finito partu, uterus, metamorphosi regrediente actuosa, in pristinum statum reducitur. Plasticitas nimia, per secretionem Lochiorum ita constitutam, ut illa initio cruenta, tardius serosa, demum mucosa sint, ad summum sex hebdomátis durantem, per lactis secretionem, et transpirationem auctam, sensim imminuitur, et debita, inter diversa Systhemata harmonia inducitur, ita; ut foeminam, officiorum suorum non oblitam, in plurimis casibus, nulla labes maneat, post partum.

Partu peracto foemina mater fit, et sicut quaevis organica, post quamvis evolutionem perfectiora fiunt; ita foemina etiam maiorem perfectionem adipiscitur. Levitati maior gravitas, mutabilitati maior constantia succedit, altíor in virum amor, sollicitudo de futuris, maior in sibi subiectos dominandi cupido observatur. — Pudicitia nimia in Modestiam vertitur, facultas imaginandi refroenatur, indicandi dos magis perpolitur. — Videtur itaque foemina e natura viri, per intimum cum

eo consortium, quidpiam sibi vindicare, quin unquam in eum induretur. — Recens natus, parte una matri, cuius lacte nutritur, arcte adhaeret, parte altera, Naturae influxibus expositus, in sinu eius vegetus educatur, et qui in Utero Superficie corporis externa nutriebatur, haustum ex uberibus cibum, tubo cibario digerit, qui branchiis antea respirabat, nunc pulmonali respiratrone fruitur, organisque sensuum per continuas inpressiones excitatis, vita animali, et psychica uti incipit. —

Lactatio maximum medium est ad id, ut foemina in eum statum, in quo ante graviditatem fuit restituatur, nec unquam impune negligi potest. — Ea durante uterus a magno labore conquiescit, et conceptio locum non habet, materiaque organica a reproductione individuali residua, in nutritionem infantis impenditur. — Lactatio, ut ipsa graviduqueditas decem mensibus durare debet. — Lac maternum nec lacte nutricis nec alterius animalis perfecte suppletur, illud enim non solum nutrimentum est infantis, sed vehiculum simul ope cuius mater in infantem dynamice agit. Inde a lacte per affectus, aut crasim malam humorum mutato, ingens morborum seminium in infantem transfertur, serius ocyus in tristem segetem germinaturum. Sane incuria, atque malitia matrum saepe fit, ut infans ex uberibus, unde vitae sperabat nutrimentum, mortis sugat exordium. — Per ablactionem citam, et concreditum Nutrici infantem, non minor illi infertur iniuria, quam siquis e climate temperato subito ad torridum transferretur. —

Foemina, pro maiori v. minori organisationis robore, potentiarum nocentium influxu, inter quas atra cura prima est, aetatem attingit eam, qua ingruente, pro concep-

tione non amplius idonea, functionibus soli foeminae propriis spoliatur. — Alacris vegetatio imminuitur; cumque foemina reproductioni etiam individuale non multum sufficiat, nil mirum est, si reproductio speciei non succedat. — Spês adolescentis sobolis, verum est Matronarum solatium. — Insignis mutatio contingit in animo, — Affectuum intemperies mitigatur, rationis imperio praevalente. — Imaginatio nimia, per prudentiam, nunc altius culminantem, vincitur, atque sic fit, ut licet haec aetas rigidae hyemi analoga sit, non tamen amoenitatibus cunctis exuatur. —

THESES DEFENDENDAE.

I. Turbata functio cutis maximi numeri morborum causa.

II. Non lux causat contractionem iridis, sed retina lucem percipiens.

III. Keratomia deorsum versus praeferenda illi sursum versus.

IV. Illae mihi videntur utilissimae omnium exercitatiouum, quae non solum corporis exercere, sed et animum oblectare possunt. *Galenus.*

V. Anatomiae notio e libris solum hausta est nulla.

VI. Sectiones pathologicae a medico nunquam negligendae.

VII. Methodus exspectativa etiam rationalis.

VIII. Mania saepissime superbiae filia.

IY. Ex effectu non e theoria medicus dijudicandus.

X. Somnus crisibus peractis princeps est roborans.

XI. Monogamia homini maxime est consentanea.

XII. Vinum potus — medicamentum — Venenum.

XIII. Amicum Foedus inter Homoeopathiam Alopathiam et Hydropathiam est possibile.
